

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0279

0277

0283

0273

0288

0268

0328

0228

0378

0178

0778

Ende

Anfang

267

victoria potiti fuissent, si non affuisset adjutorium et consolatio defunctorum in bellis prioribus. Sicut etiam ad preces sancti Basilii beata Virgo resuscitavit Mercurium, fortissimum militem, a Juliano Apostata martyrizatum, ut ipsum Julianum interficeret, sicut et fecit, sic resuscitati sunt strenuissimi a Sarracenis interfecti, ut debitam de iis vindictam sumerent, unde manifeste visi sunt pugnare cum pugnantibus et infideles trucidare et loca sancta cum vivis circumeundo visitare et lateraliter cum eis, quos socios in vita habuerant, incedere. In quo manifeste dabatur intelligi, quia etsi vita decesserant corporali, ad aeternam tamen vocati beatitudinem non sint fraudati desiderio suo, sed quod pio expetierant studio, pleno sunt effectu consecuti. Finita ergo processione urbem et templum mundaverunt, ejientes maledictorum cadavera extra muros et sanguinem noxiun abstergentes, undique erigentes coquinas per urbem et dispensatores necessariorum disponentes, et ita transierunt octo dies.

De hac clariſſima victoria habentur multae historiae heroico confectae sermone a disertissimis et eloquentissimis oratoribus, Italicis, Graecis, et Gallicis, qui eam suis adscribunt gentibus. Et quia nulla memoria fit ab eis Theutonicorum, quorum tamen robore Gothfridus omnia haec peregit, unde Aeneas Sylvius, poeta laureatus, in oratione ad principes Alemaniae et ad nobiles Sueviae facta Francordiae pro occursu Turcorum sic dicit: Scio, inquit, Gothfridum, qui fuit Lotharingiae dux, cum solis transrhenanis Theutonibus et Suevis et aliquibus Gallis et paucis Italij terra marique regna percurrisse et sepulchrum Domini a jugo Sarracenorum liberasse.

#### Catalogus latinorum regum Jerusalem et regni Ierosolymorum principum apud Christianos.

(274 A) Christiani itaque occidentales anno dominicae incarnationis 1099. die quinta decima Julii ceperunt civitatem sanctam Jerusalem, eripientes eam de manu et potentia gentilium, et veris haeredibus eam assignaverunt, filiis regni, fonte baptismatis renatis, Christicolis, a quibus iam alienata

